

409.

1253 d. 1 Sept.

Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Tillstånd för Kaniken SVEN i Lund att utom sitt Kanikedöme och Hoby församling äfven kunna emottaga någon annan befattning i Stiftet.

F. 1: 224. An. 11. Ep. 157.

*Innocentius &c. Dilecto Filio Suenoni Canonico Lundensi Salutem &c.*

Ad faciendam tibi gratiam specialem &c. *usque* indulgemus, ut preter Canonicatum et Canonicatum Ecclesie Lundensis ac Ecclesiam de Hubu ibi curam animarum habentem, quos te canonice proponis adeptum liceat tibi adhuc unicum ecclesiasticum beneficium, etiam si curam similem habeat et dignitas vel personatus existat, et tibi in provincia Lundensi canonice offeratur libere recipere, ac una cum eisdem Canonicatu, prebenda, et Ecclesia licite retinere, constitutione generalis Concilii super hoc edita non obstante. Proviso, quod Canonicatus, Ecclesia, beneficia, sive dignitas, vel personatus hujusmodi obsequiis debitis non fraudentur, et animarum cura in eisdem Ecclesia, beneficio, dignitate, vel personatu nullatenus negligatur. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum Asisii Kalen. Septembris, Pontificatus nostri Anno XI.

410.

1253 d. 13 Sept.

Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Skyddsbrief för Presterskapet och Folket på Gothland.

F. 1: 228. An. 11. Ep. 183.

*Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Clero et Populo Guthlandie, Salutem &c.*

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos ac humiles ex astricto pietatis officio propensius diligere consuevit, et in pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati personas vestras cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus &c. auctoritate presentium inhibentes ne quis rationabilem libertatem vestram obtentam hactenus et pacifice observatam presumat temere perturbare. Nulli &c. nostre protectionis et inhibitionis &c. Datum Asisii Idib. Septembris Anno XI.